

contractus aliorum instar, qui ad lucrum ordinantur. Sed non ex eo sequitur tantum se ad perdendum exponere mutuantes; quia moraliter non se exponit, etsi enim quod mutuo datum est, pereat, Domino perit, mutuatio inquam, & tenetur integrè solvere; licet autem periculum aliquod sit generaliter loquendo, id non est pretio compensabile, quia ratio mutui ex se illud dicit, quod tamen gratis dandum ex Evangelio habemus *Luca 6. v. 35. Mutuum dare, nihil inde sperantes, & habet præterea compensationem, ex eo quòd apud dominum etiam poterat periclitari; & multoties accidit, ut apud mutuatarium res periculo exempta sit, quod apud dominum subiisset. Liberatur etiam custodiendi curâ, quæ solet esse non exigua, & dilapidationis, quia comperum illud est, quòd proverbio nostro circumfertur; quantum ad manum, tantum ad damnum.* Concedo deinde bene argui ex secundo ad primum; sed, non ideò particula negationis tollenda est, quia eà constante, potest verissimus illius constare sensus; scilicet usurarium esse censendum contractum, quando mutuatio onus soluendæ assecurationis imponitur. Cumque & hæc, & aliæ satis commodæ expositiones à Doctoribus adhibeantur, retentâ negatione, omnino iniuste pro illius subtractione pugnantur. Quæ quidem à me ideò dicta sunt, ut videant scriptores, qui alios carpunt, valde sibi de exacta scribendi ratione curandum, quia pro mensura, quâ alios mensi fuerint; illis proculdubio remittetur. Videantur à citato Auctore aculeatius, & minus dignè tanta auctoritate dicta contra P. Dicastillum *num. 778.*

Luca 6. v. 35.

Mutuanti sua etiam sunt commoda, quibus mutuatio generale periculum commensuratur.

Assertio 2. pro periculo recuperandi mutuum, posse præmium exigere.

120 Dico secundò Pro periculo recuperandi, quod datur, siue mutuo, siue aliter, potest præmium aliquod accipi, antecedente circa illud pactione, sic tenent plures, quos adducit, & sequitur Bonacina *Puncto 5. citato.* Et præterea P. Palaus *suprà Puncto 17. P. Bauny suprà quæst. 29. & 37. Dubio 2. Cardinalis Lugo Disput. 25. num. 81. & seqq. P. Gaspar Hurtadus Disput. 3. difficult. 20. P. Becanus Quæst. 5. de Jura. P. Onate Disput. 107. num. 30. & magis ex professo Sect. 8. P. Dicastillus Disput. 2. citatâ, n. 224. & seqq. Malderus 2.2. pag. 449. dub. 14. P. Turrianus in selectis Cent. 1. Dub. 84. & alibi. Caramuel *num. 769.* Vbi multos congerit. Ratio est; quia periculum est pretio æstimabile, ut constat ex contractu assecurationis communiter probato. Vnde si quis non vellet mutuo dare, nisi daretur ei securitas, & alius assecrator daretur, sic faciens pro dato sibi assecurationis pretio, nihil in eo contrahendi modo iniustum misceretur. Ergo quemadmodum alter assecurationis pretium haberet, ex quo mutuum supra obligationem fortis soluendæ, onus aliud soluendi assecurationem secum ferret, ita & mutuans quod alter erat habiturus exigere potest, eò quòd assecurationem non petat, volens in se periculum amissionis sustinere, nam mutuarius non plus grauatur, quam ex assecuratione licite petita.*

DIFFICULTAS II.

121 Vbi singularis occurrit quæstio: an si mutuarius assecurationem offerat ab alio factam, possit mutuans eam non acceptare, sed velle in se periculum sustinere per additionem alicuius supra sortem, & videtur iuxta dicta *Assertione præcedenti* respondendum, quia est onus mutuatio impositum, qui potest assecratorum gratuitum forsitan ingenerare. Sed virgeri potest in casu, quo assecrator talis non sit, sed cui idem pro assecuratione soluendum sit, quod mutuans tamquam præmium exigat; tunc enim non videtur illi onus speciale imponi. Nihilominus idem videtur dicendum, quia etiam est onus pretio æstimabile, & ita inveni post hæc scripta sentire Caramuelem, *n. 777. vers. ult. & certè cum iam mutuans de securitate nõ curet, animus vlturarius aperitur, dum plus ex mutuo habere desiderat, & non titulo securitatis, quæ offertur, & ita ratione mutui palliati.*

An idè dicendum, si mutuata rursus offerat assecurationem.

DIFFICULTAS III.

122 Dlx de tali præmio paciscendum, quod quando periculum in venditione accidit, facile est aucto pretio. Vbi & specialis difficultas occurrit, an emptor, qui scit ratione periculi sibi pretium augeri, solutionem suo tempore præstans, possit augmentum illud pretij retinere. Nam cum sit probabilis opinio, ut vidimus, quæ affirmat accipi nõ posse aliquid ob titulum dictum, consequenter videtur dicendum non esse obligationem ad soluendum. Aliunde autem cum pretium rei sit totum illud, & sub ea sit pretij designatione contractum, voluntasque contrahentium pro lege fuerit, non videtur de eo quidquam tolli sine iniustitia posse. Nihilominus prius est probabile, dummodo de titulo aucti pretij constet, & de augmenti quantitate.

An mutuarius possit in casu dicto augmentum retinere.

DIFFICULTAS IV.

123 IN mutuo autem, quia solent petentes personarum suarum dubiam pro solutione fidem abscondere, & tales se exhibere, quibus possit plenè confidi, inde oritur dubium, an debeant quando solvunt aliquid supra sortem adicere; quia reuera is qui mutuavit, id non fecisset, nisi cum præmio periculi, & ita involuntarius fuit, vnde videtur debere illi aliquid supra sortem reddi, quo nequit contra suam priuari voluntatem. Circa quod P. Gaspar Hurtadus *suprà P. Gaspar Hurtadi sententia.* ait etiam si adlit periculum, plenè satisfacere mutuatarium solutione solius fortis; efficere tamen iniuriam inchoatam, & quasi in viâ, ipsi mutuanti dictum ignorant periculum, si non assecrator solutionem ei faciendam abique molestiis & expensis; cui utpotè inchoatæ, & non perfectæ, non tenetur postea satisfacere; ut tamen ab ea iniuria, & peccato excusetur, tenetur solutionem quoad substantiam, & quoad molestias, & expensas assecraturæ, vel aliquid pro periculo tempore mutui conferre, vel postea soluendum in pactum deducere. In quâ doctrinâ verum quidem est

ut admittenda illa est

est iniuriam non esse perfectam, quoad fortis amissionem, & ita concedi potest, solutione iniuriam huiusmodi compensari, sic enim mutuans nihil minus habet. At quoad lucrum ex periculo alia diuersa obligatio videtur, & ita iniuria in suo ordine perfecta, quandoquidem illo privatur mutuans contra suam voluntatem. Vnde si certò constaret ita esse, forsitan alicui videretur, quod deberet compensatio fieri. De peccato autem eius, qui se talem simulat, cui possit omnino fidi, dubitari nequit; quia rem alienam exponit periculo.

De Molestia.

Assertio 3. Pro molestia interna nihil posse exigere.

124 Dico tertio. Pro molestiâ in recuperando debito, quæ solum ad actus internos reducitur, non videtur quidquam posse exigere: sic qui de periculo negat, & specialiter P. Dicastillus *suprà num. 250.* oppositam sententiam vocat improbabilem speculatiuè, & moraliter in praxi perniciosam, cum tamen eidem subscribat *num. 254.* ut illi obicit Caramuel *num. 778. citato.* Probatum autem ex dictis *num. 112.* Aliud ergo est periculum, aliud molestia, vnde non bene illud ad molestias reducitur, quarum est causa, & nihil est aliud, quam damnum imminens amissionis rei, aut retardandæ possessionis; & non est annexum mutuo, sed generale aliud, de quo *num. 119.* Ex quo patet ad obiectionem *num. eodem.* Fuit autem sententia Ioan. de Medina *Quæst. 32. de Restitut. §. Inde inferitur* asserentis, si graue & molestum alicui sit pecuniâ carere, posse eo titulo aliquid exigere. Quam Trullench *Lib. 7. Cap. 19. Dub. 12.* non improbabilem reputat, & absolute amplectitur P. Dicastillus *suprà num. 257.* & etiam non stante molestia P. Lessius in Mercatoribus. Verb. *Mutuum, num. 9. in Resol. posthumis.* Sed P. Onate *Disput. 107. num. 149.* ait esse contra fidem generaliter de Medina sententia locutus. Qui certè Auctorem non videtur legisse, ut ex citatione etiam apparet: vnde non est illius curanda censura.

Sententia Ioan. Medinae immo merito censurata.

Specialis argumenti enodatio.

Ex non assecratoro præmio in mutuo arguitur, & sic satis peculiarari doctri.

125 Est illud contra præcipuam Assertionem: nam si pro securitate exigere aliquid potest, ut decem pro centum, pro decem securitate etiam poterit aliquid peti, & pro eo aliud, & sic in infinitum, & ita pro centum dabitur præmium infinitum, quod cum dici nequeat; fatendum est pro periculo Capitalis nihil debere, sicut nec pro periculo præmij debetur. Ad quod dico pro securitate decem nihil deberi, quia illa sufficiens præmium, etsi non plus secura, censeri debent. Hoc enim pendet ex hominum æstimatione, & modo contrahendi. Vbi dicunt aliqui posse peti fideiussores pro decem. Sed quidem si pariter detur pro Capitali, est implicatio in eo: dato enim fideiussores cessat periculum: quia tamen facile potest fideiussores inueniri pro decem, non ita pro centum, ea responsio poterit sustineri pro eo casu. Licet etiam sit difficilis, nisi ex decem aliquid detrahatur, datâ iam securitate: minus enim valent incerta quam secura. Argu-

mentum autem si quam vim habet, tantum est in eo casu, in quo pro decem non fit maior securitas quam pro centum: & ad id sufficienter responsum est.

126 Contendit autem Caramuel *num. 771.* rem hanc subtiliorem esse, quam Doctores de illa agentes existimant & *num. 773.* affirmat pro securitate præmij, quando non est maior quam Capitalis, posse præmium exigere, & pro præmio præmij præmium aliud in infinitum. Addit autem *num. 774.* omnia illa præmia secundaria, licet infinita sint synecathogorematicè, non peruenire ad octauam partem primarij, pro quo computum arithmetice subdit factâ calculatione. Sed ad rem moralem labor iste superuacaneus apparet, & duæ istæ Assertiones in præfato Auctore videntur esse pugnantibus inter se: Prima *num. 773.* Si Antonius pro præmio non det securitatem sufficientem, pro periculo præmij poterit adhuc secundum præmium exigere, & pro periculo secundi tertium, & sic in infinitum. Secunda *num. 776.* In præmij non datur infinitus processus. Ratio est; quia ultra minimam monetam non proceditur. Sic ille. Adde. Si præmia secundaria accedant, licet non perueniant ad octauam partem primarij: ergo sunt excessiua respectu illius. Patet; quia illud est decem pro centum: & ita proportione seruata pars decima debet esse præmium secundarium in tota præmiorum collectione: octaua ergo excessiuum est.

Caramuelis subtilis quedam ratiocinatio di ratio nõ admissa.

CAPVT XI.

De damno emergente circa Indicos contractus.

127 Alius est hic titulus, propter quem aliquid supra sortem exigere possit, iuxta communissimam sententiam, pro quâ plures congerit Caramuel *suprà numer. 756.* & videri præterea possunt Bonacina *Disput. 3. quæst. 3. Pan. 4. Trullench Lib. 7. Cap. 19. dub. 8. Malderus in 2. 2. pag. 444. P. Turrianus 2. 2. Tomo 2. Disput. 61. Dub. 3. Pharaonius Tractat. 2. Sect. 13. Casu 1. P. Molina Disput. 314. Cardinalis Lugo Disput. 25. Sect. 6. P. Gaspar Hurtadus Disput. 3. de Contractibus, difficult. 8. P. Amicus Disput. 20. de Iustitiâ, Sect. 7. P. Fagundes Lib. 5. de Iustitiâ, cap. 31. P. Palaus Disput. 4. de Commutatiua. Puncto 17. P. Bauny Lib. 2. Tractat. 6. Quæst. 30. & seqq. P. Filiucius Tractat. 34. num. 83. P. Dicastillus Lib. 2. Tractat. 10. Disput. 2. Dub. 7. P. Onate Disput. 107. Sect. 1. P. Escobar de Mendoza in Theologia moralis pag. 349. P. Bufembaum Lib. 3. Tractat. 5. Cap. 3. Dub. 7. num. 10. ut alios omittam. Qui obseruant, vix aliquo dissentiente apud P. Molinam, damnum tale non deberi, nisi fuerit deductum in pactum, dummodo solutio fiat tempore designato; quia fortè mutuarius eo cum onere non acceptasset. Si dicat fortè accepturum, & ita pro eo dubio aliquid deberi; quam difficultatem Auctores non tangunt. Dicendum id non obstarè, quia melior est tunc conditio possidentis, & iuxta rationem, quam mutuum ex se dicit, iudicandum, dum mutuans nihil de obligationibus aliis adicit, cum possit adicere. Et communibus*

Pro damno emergente aliquid posse exigere certè sententia.



nibus difficultatibus circa damnum emergens omnibus, circa Indias occurrit

An se obligatio pro illo ex obligatione non repetendi mutuum.

Pars affirmans ut queat sustineri.

P. Molina.

Ex commo dato comprobatio.

128 Primò, solere aliquos lucrum ex mutuo querere nomine damni, qui tamen nullum videntur speciale timere. Vbi quæri potest an pro obligatione non repetendi mutuum, etiam si ratio vrgens occurrat, possit aliquid exigi. Licet enim de ratione mutui sit, vt non repetatur ante tempus designatum, id non videtur currere, cum ratio inopinati euentus occurrat: hæc enim videtur esse mutuanti mens, cum id tradunt, quod sibi non fore necessarium pro tempore mutationis arbitrantur. Et aliud iuxta humanam conditionem præsumi nequit; quod scilicet velit quis damnum pati, cum habeat apud alium id, quo damno possit obuiare. Et ita videtur tenere Caramuel num. 765. specialiter de mutuo locutus, quando pro solutione est terminus assignatus. Videndus etiam num. 743. vbi obligationem non repetendi, etiam si indigeat, ait esse pretio compensabilem. Et etiam P. Molina: licet enim Disp. 299. §. Si certus, asserat quod si terminus præfixus fuit ad redditionem mutui, illud intra talem terminum debeat reddi; alioquin mutuatarius ad damna omnia tenebitur, etiam lucri cessantis, quæ ex mora secuta fuerint; & non debere reddere antea etiam si petatur. Et §. Quando solutioni addat, quod quando terminus præfixus non est, mutuatarius debet illud solvere quando mutuans reperit; non verò si statim petat, circa cuius spatij determinationem nonnulla tradit: subdit tamen sic: Nisi forte superveniat sufficiens causa, quæ cogat statim repetere. Quæ limitatio pariter currit, siue terminus præfixus sit siue non, quia utrobique ratio est eadem. Et ita intelligendum quod ex professo probat Disp. 308. §. Est tamen, & 314. §. Interrogabis, & seqq. Pro quo & P. Amicus num. 98. P. Dicastillus Dub. 8. Malderus 2. 2. Pag. 449. Dub. 15. & alij.

129 Quod & probari potest ex sententiâ eiusdem P. Molinæ circa commodatum, pro quo Disp. 294. vbi cum Angelo, & Syluestro asserit, quod licet obligatio sit non repetendi illud ante tempus, pro quo commoditas concessa est, etiam si petatur, quin potius si commodatario sine libero ipsius consensu auferatur, accipiens tam in conscientia foro, quam in exteriori, teneretur ad interesse damnorumque restitutionem, vt Ius Canonicum, & Civile tradit: nihilominus si commodanti detrimentum aliquod inopinato occurat, cui non possit, nisi commodatum repetendo contrariè, posse ita facere in vtroque foro, propter voluntatem præsumptam commodantis: sic enim de omnibus est singulis præsumendum, iuxta quod rei ipsius natura docet. Pro quo & P. Palau Disp. 3. de Inst. Commut. Puncto 5. P. Dicastillus Lib. 2. Tract. 7. num. 8. alique. Cum ergo in mutuo eadem ratio sit, idem videtur pariter asserendum. Neque Cardinalis Lugo, qui Disp. 25. num. 17. sententiam, admittentem posse aliquid accipi pro obligatione non repetendi mutuum, falsissimam dicit, in hoc casu loquitur, sicut nec alij: non ergo obligatio talis est mutuo adstricta, & ita pretio æstimabilis debet indubitanter iudicari.

130 Cum ergo pars ista videatur profecto probabilis, & ita se tueri possunt mutuantes,

quamuis neque contractum societatis inire velint cum triplici illa obligatione, de qua dictum num. 109. in quo nec propria ratio mutui est, neque ad lucrum cessans habeatur respectus. Quia verò euentus isti inopinati rarioris sunt, non debet premium æquale esse illi, quod propter probabile periculum peti posset, vt videtur clarum; & quia rarissimè his temporibus aliquod periculum recuperationis abest, licet illud notabile non sit; titulus iste præfatus potest adiungi, & ex vtroque maioris præmij exactio justificari. Non videtur autem necessarium, vt hoc expressè in pactum deducatur, sed eo ipso, quod à persona, quæ ab vsuraru cupiditate reputatur aliena, & moribus Christianis viuunt, aliquid more solito ratione damni petatur; intelligendum est ad non petendum debitum ante tempus designatum obligari, quandoquidem alius non apparet titulus, quo premium peti possit, & ita intelligendum est propter illum peti, vt in simili ait P. Dicastillus de contractu trigemino, de quo ait num. 109. cum alijs. 5. 440. Poterit ergo mutuatarius negare illud, si antea petatur, nec propterea ad damna secuta obligari. Quod etiam probabiliter dici potest, etiam si mutuum sine obligatione aliqua speciali fuerit datum, sed cum termino præfixo solutionis: quia eo ipso non posse ante illum repeti, etiam si quidpiam inopinatum obuenerit, est probabile, & illud defendit Nauarrus in Manuali Cap. 17. num. 182. ob ius comparatum ad vsuum; quo priuari nequit à commodante, sicut neque donatarius re donatâ, quidquid donatori superuenerit, qui debuit prouidere sibi pro talibus successibus, & dum non prouidit excipiendo illos, visus est nullum sibi ad repetitionem ius reseruasse.

Resolutio affirmatiua cum vult de obseruanda doctrina.

Probabilis sententia repetitionem negans in omni euentu.

Gubernatores an licitè mutuum exigant à Mercatoribus, ut Regij thesauri, quæ transmittunt, copiam augeant, nullo lucro reddito.

131 Secundò: solent Indici Gubernatores, vt thesaurum Regium augeant, qui quotannis in Hispaniam transmittitur, magnam pecuniæ copiam à Mercatoribus mutuum accipere, sed sine præmio aliquo lucri, aut damni. Et quæri merito potest an id liceat, licet soluendam curent ex tributis, & iuribus alijs, quæ in Regias arcas frequentè afferuntur. Ratio autem dubitandi est: quia Mercatores non habent otiosam pecuniam, & ita dum eâ priuantur, lucrum eorum cessat, & damnis se non leuibus exponunt, pro quibus tamen nullam recompensationem accipiunt, nisi forte expensarum in recuperatione; nec videtur dici posse id sponte facere, quia vix est qui non faciat inuitus, & cum metu cadente in constantem virum, ne scilicet irâ Gubernatorum prouocent, à quâ non est appellatio, nisi ad patientiam: vnde & possunt grauiora sibi damna subuereri; & vt metus grauis non sit, leuem sufficere ad inducendum obligationem in conscientia foro, quando ille tantum est, qui dat causam contractui, graues Auctores tenent, de quo dictum Titulo 7. num. 22.

Decisio cum non contentis animaduersionibus.

132 Ad hoc dicendum videtur, si non omnino gratuito talis mutuatario fiat; obligationem inde ad lucra, aut damna resultare, sicut contingeret quolibet alio ad similem actum compellente. Iuxta receptissimam doctrinam de obligatione talis quando mutuum est coactum. Pro quo & in speciali loquitur P. Molina Disp. 315. in principio, vbi inter alia exempla coacti mutui, & obliga-

obligationis ad lucra, & damna resultantis; istud subicit, si vasallus idem Regi, aut alteri Domino temporali mutuum det, quia merito timet fore ab eo vexandum, aut graues molestias ab eo passurum, nisi mutuum illi det. Pro quo & Sotus Lib. 6. de iustitia, quæst. 1. art. 3. Conclus. 3. in eadem casus specie loquens, Rarus autem est, qui omnino gratuito tribuat, & ita iuxta id, quod generaliter accidit, iudicandum. Sunt autem aliqui nimis opulenti, qui nequeunt totâ, quam habent, pecuniâ negotiari, & si mutuum det mutuum eis restat, quo possint damno cuiuslibet superuenienti obuiari ire. Et hi solent gratuito mutuum Regi, quia sic gubernantium gratiam sibi ad multa necessariam aucupantur; vnde talibus præmium nullum tribuendum præter illud, quod ipsis est ex gratitudine debitum, aut debito alio, qui iustitiæ non sit. Pro quo Auctores videndi apud Bonacinam Disp. 3. de contractibus Quæst. 3. Puncto 2. num. 6. 7. & 8. nec est contrarium quod cum alijs addit num. 9. eum esse vsurarium mentaliter, qui dat mutuum pecuniam Principi, sperans lucrum ex mutuo tamquam pretium, & in recompensationem non gratuitam, nec liberalem: siue principaliter speret, siue minus principaliter; siue alijs non esset mutuatarius sine eâ spe, siue etiam mutuatarius fuisset ob amicitiam, vel ob alium finem. Loquitur enim de mutuante ob recompensationem non gratuitam, qualis non est ea de quâ loquimur; sperare enim commodum ex mutuo etiam pretio æstimabile, dummodò ex iustitiâ debito, non sit tribuendum, ex mente omnium, vt ipse ait, tradit Caramuel num. 740. vbi plures allegat; cuius, & doctrina alia ex num. 736. consonat; scilicet posse mutuum dari obligando aliquem ad id, quod alijs tenetur facere. Quod & docet P. Filiucius Tract. 34. numer. 94. cum ergo Rex debeat gratificari tibi subuenientibus, non erit contra rationem mutui si propterea ipsi tribuatur.

Bonacina.

Sperare commodum ex mutuo vt licet.

Compensatione vti quomodo dicit credentes possunt sine pro damnis & expensis circa solutionem.

133 Quod autem ad expensas attinet, & damna ex mora solutionis secuta, posse compensationem exigere in conscientia foro, certius est quam vt debeat pluribus demonstrari. Poterunt ergo sic fraudati vt compensationem in eis, quæ occurrunt. In quo quidem gubernantium conscientia videntur oneranda, vt soluant, scientes Regium patrimonium iis compensationum periculis à Mercatoribus verosimiliter faciendis exponendum. Dici enim nequit Gubernatores, dum mutuunt exigunt, vt thesaurum annuum impingent, negotium Regis vtiliter gerere; cum enim id, quod mutuo accipitur sit quam primum soluendum, quod in præfenti est auctum, anno est sequenti, è Regio thesauro detrahendum, & semper arcæ Regiæ immensis debitis oneranda: quod quidem non videtur iuxta Regiam esse voluntatem. Rex ergo hac ratione nihil plus habet, & alioqui damna compensationum patitur: sunt ergo illa gubernantium illaudabili procedendi modo tribuenda, & ita Regio patrimonio sua integritas per restitutionem iuxta prudens faciendam arbitrium, tribuenda. Quod tunc cessabit, si restitutio damnificatis fiat, vnde sperari possit eos à compensationibus ex Regiis iuribus faciendis abstenturos. Sed quis erit, qui ita restituat? videtur sanè Rex commodissimè facere,

dum à supremis Gubernatoribus in Hispaniam redeuntibus donatiua postulat, sic enim, & sibi consulit, & eorum conscientis, scienter, aut inscientium consilijs circa Regium patrimonium oneratis.

Circa vitiatam pecuniam difficultas, cum soluendum mutuum.

134 Tertio: ob vitiatam pecuniam annis proximè elapsis, cuius & modò dolendi effectus sentiuntur; in dubium vertitur; quomodo sit et soluendum, qui mutuum dedit ante abrogationis edictum. Pro quo videnda, quæ diximus supra Cap. 4. diffuult. & controuersum valde est, an famâ extante edicti proferendi circa imminutionem valoris possit fieri solutio totidem argenteis, quot mutuo dati fuerunt, cum iam minoris esse valoris videantur eo ipso, quod proximè sint suum valorem amissuri. Modò enim sunt minus viles, quia non erit, qui vendere pro illis velit iuxta valorem pristinum, neque ad alios contractus admittentur. Aliunde autem dum de imminutione valoris edictum non extat, videntur pristinum retinere, vnde & creditores compelli possunt vt accipiant; circa quod

Assertio: In ea posse solui ante edictum, si eras seruanda.

135 Dico primò, si mutuans pecuniam vitiatam erat seruaturus vsque ad tempus publicationis edicti, neque in mutationis actu aliquid fuit circa solutionis modum in speciali conuentum, satisfacit qui totidem argenteos reddit, etiam si minoris iam valoris sint. Hoc tenent non solum qui existimant fieri satis reddendo eandem quantitatem, quos adducit Caramuel num. 730. sed etiam ex iis quidam, qui aliter circa id sentiunt, vt Syluester. v. Iura. Quæst. 15. quatenus affirmat, quod non licet mutuarum pecuniam, quam scio breuiter minuendam in valore, vt alia eiusdem pretij soluatur; nisi quando illam mox essem expensurus. Pro quo Alexandrum adducit in quodlibetis. Ex quo videtur idem sentire in casu, quo quis mutuauerit nihil de mutatione cogitans; sic enim cum seruaturus pecuniam esset, & non mox expensurus, nequit pecuniam maioris valoris exigere, vel ab inuito accipere, iam enim haberet lucrum ex mutuo. Quod tamen non ita accidit, cum pecuniam mox erat expensurus; quia idem lucrum, quod modò habet, sic expendens habuisset. Pro quo etiam est P. Bauny. Tract. 6. Quæst. 37. Dub. 6. vbi sic ait: si pecunias ad diem, aut tempus, quo earum pretium erit auctius, seruaturus erat mutuans, tantumdem à mutuatario petere potest. &c. Habetur ergo ratio in mutuo de seruandis pecunijs: & ita siue valor crescat, siue diminuatur, eadem est habenda ratio; & quidem quando augetur pretium. Ratio cur debeat talis respectus haberi, illa est, quod mutuans ex beneficio detrimentum pateretur, ad quod nulla lex obligat, vnde sua sibi esset damnosa charitas, vt citatus Auctor arguit, & est satis compertum: atqui cum decreuit valor & tantumdem redditur, ac illud quod mutuans erat seruaturus, nullum damnum incurrit; ergo nulla in eo iustitiæ violatio est, & ita neque obligatio restitutionis. Et quidem quod in rebus, circa quas contractus exercentur, habenda sit ratio temporis seruandi, vel non seruandi illas, negari nequit, quia sic habetur manifestè in Cap. Naviganti. de vsuris, de quo iam dictum: ergo similiter in pecuniâ, quia quoad hoc eadem omnino ratio est. Fateor contrarium tenere Nauarrum

P. Bauny.

Ex pecunia aucto valore arguitur.

Contrarium esse probabile.